



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Creatur Decanus Academiae Vie[n]nensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

disciplinarum variarum septem agebāt in eo Collegio, & aliquot præterea studiis operati. Magna  
 religiosi Patris præsentia, morum commutata  
 facta est: magna ad quietem, & tranquillitatem  
 accessio: ille tamen breui persensit commoratio-  
 nis eius pretium non extare. Ante omnia perinu-  
 tus carebat sociorum sancto, simplici que conu-  
 ctu, miro desiderio religiosi claustrum, ex quo extraheretur  
 sus, ac relegatus sibi videbatur: multoq; maluisse  
 Coquo inter suos minister latere, quam eo loco  
 spectandus præesse. Itaque, cum valetudo cœpi-  
 set nutare, suaserunt Medici Ferdinādo, vt ad eam  
 confirmādam, potestatem faceret ad Collegium  
 remigrandi. Qua primo certum modo in tem-  
 pus potestate facta, illud quoque postea impetra-  
 tum est, ne cogeret eodem reuerti. Nec explicari  
 potest quanto inde Canisius animi gaudio, tan-  
 quam à tempestate ad portum, à foro ad templū  
 vt ipse loquitur, se receperit. Vltima nimirum va-  
 letudinis erat causa: religiosæ quietis amor, reli-  
 giosi claustrum custodia, religiosi spiritus conseruā-  
 di proprie ducebat cura. Hoc tempore Decanus  
 Academiae legitur, cum in eius corpus anno supe-  
 riore cum Gaudano, atq; Nicolao Lanoio coo-  
 ptatus

Creatur De-  
 canus Acade-  
 mie Vien-  
 nensis.

ptatus esset. Eodem tempore, & Academiae corri-  
 gendae, & discipulorum recognoscendis, emendan-  
 disq; contuberniis (Bursas vocant) iussu Regis oc-  
 cupabatur. Qua in re nulla maior difficultas inci-  
 debat, quam ex administratorum idoneorum ino-  
 pia, qui, quae prudenter decernebantur, ad usum  
 mox, & in mores sedulo reuocarent. Nec tamen  
 inter haec aut dictionem ad Regem, atque ad po-  
 pulum, aut scholas in Academia, aut stylum de-  
 niq; vnquam deponebat, concinnando maximè  
 Catechismo intentus. Vt autem non laboribus  
 modo, ac gemitibus suis, verùm etiam & alienis,  
 & absentium auxiliis diuinam causam tueretur, ex-  
 orauit à beato Ignatio, vt praeter alia pro cuiusq;  
 arbitrato placamina, pro sitis ad septentrionem  
 Prouinciis tota in societate in omne tēpus, quan-  
 diu calamitates Ecclesiarum illarum manerent,  
 singuli sacerdotes semel in mense sacrificium, ce-  
 teriq; focij certas preces offerrent. Quod quidem  
 cum etiam num sparsa societate, per omnes gen-  
 tes perseueret, meritum Canisij in Germaniam,  
 sane luculentum censeretur, vt etiam in vlti-  
 mo oriente, & occidente inter barbaros noui or-  
 bis pro ea preces, & sacrificia fiant. Idem vehemē-

*Impetrat  
 perpetuas à  
 tota Societate  
 preces pro  
 Germania.*

M ter